

rum necessitatem continent, fiduciarius implere cogitur. Pergit Caius: *si vero turpis aut difficilis sit conditio, aperte iniquum est, cogi eum explere eam alterius gratia.* Omisit tertium genus, si conditio impendii quid habeat, de quo quid statuendum sit, sequenti §. subiicit. Turpis conditio ne ab eo quidem herede, qui sui ipsius emolumenti causa hereditatem adit, impleri debet, sed pro non scripta habetur, multo minus a fiduciario, qui alterius gratia hereditatem adit. Difficilis vero, nisi sit paene impossibilis, ut Vlpianus *L. 55. D. fam. ercise.* et Paullus *L. 4. §. 1. D. de statulib.* loquuntur, quoniam potest, explenda est, modo sit in heredis potestate. Fiduciario eam remittit praetor, aequitate commotus. Sin vero per fideicommissarium impleri possit, a fideicommissario quoque eam implendam esse, existimat Cuiacius *Lib. XXI. Observ. c. 39.* Hinc receptam scripturam sequentium verborum: *sed et remitti eam ab initio visum est, sollicitat, et pro, ab initio, legendum censet, absurdum, hoc sensu: quamquam heres difficilem conditionem alterius gratia explere non cogitur, absurdum tamen esset, neglecta testatoris voluntate, eam plane remitti, siquidem per fideicommissarium impleri posset, vti et is pecuniae dandae conditionem, heredi adscriptam, offerenda pecunia implere debet.* §. 8. et *L. 31. §. 2. D. b. t.* Probat Cuiacii sententiam *Trotzius de memoria propagata c. IV. §. 4.* Verum rationes pro tuenda Cuiacii sententia aduersus Ant. Fabrum *Lib. VI. Coniect. Iur. Ciu. c. II.* et huic adstipulantem Elbert. Leoninum *Lib. II. Emend.*

*Christ. Hear.*